

sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum executione, ipso iure suspensi sint; & si huiusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare presumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea, ultra alias poenas in tales generaliter a iure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint iure privari.

Tempus quo hæc bulla ligare cepit.

§ 3. Volumus autem quod presens nostra constitutio, in Romana Curia existens, post quindecim dies, absentes vero Italicos post duos menses; alios vero ultramontanos, post sex menses, ab ipsius in audientia Contradictarum, & Cancellaria Apostolica, publicatione, & affixione, ligare incipiat.

Nulli ergo, &c.

Si quis autem, &c.

D. P. An. 4. 17. Novemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, decimoquinto Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno IV.

X.

Contra homicidas, vel de homicidio condemnatos, aut diffamatos, ditioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediâ, vel immediatè subjectos.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Homicidij crimen detestabile est.

Ad retinendas insolentias transgressorum, si nervus publicæ disciplinæ lentescit, eorum ad peccandum voluntas sit laxior, & exemplum impunitatis, periculosius in alios derivatur, propter quod ad præsentis officium pertinet, talem adhibere iustitiæ severitatem, & debitam executionem, quod commissa crimina puniat, & committendorum in posterum interdicat audaciam.

Causa huius constit.

§. 1. Cum autem ad audientiam nostram pervenerit, quod a certis annis citra, in nostris, & Ecclesiæ Romanæ terris, locis, & tenimentis, nobis, & Ecclesiæ prædictæ mediâ, & immediatè subjectis, quamplurima, quandoque etiam ex levibus causis, commissa esse reperiantur homicidia, sitque inter alia crimen homicidii perniciosum, & detestabile, debeatque juxta canonicas sanctiones, gravi animadversione puniri, tantoque severius puniendum, & extirpandum, quanto manifestius cognoscimus, quod ex eo, ut plurimum, scandala, & mala plurima subsequantur.

Constitutiones ergo edicte hic Pontificatus in quibus.

§. 2. Cupientes idcirco ex debito Pastoralis officii, quod nostri, & Ecclesiæ Romanæ prædictæ mediâ, & immediatè subjecti, juxta piam dispositionem Regis pacifici, qui regnat in cælis, pacifici sint, & modesti, nonnullas pro huiusmodi crimine homicidii debitè puniendo, edidimus constitutiones infra scriptas, quas ad hoc

ut aliquis de eisdem ignotantiam præterdere non possit, volumus per omnes, & singulas Civitates, nobis, & Ecclesiæ Romanæ prædictæ mediâ, vel immediatè subjectas, publico præconio publicari, mandantes, ac auctoritate Apostolica tenore præsentium decernentes, omnes, & singulos juxta constitutionum earundem determinationem, obstrictos esse ad observationem ipsarum, ac si personaliter singulis intimata forent, cum non sit verisimile, quod ad eorum notitiam non devenerit, quod extitit tam publico præconio patet factum. Tenor vero constitutionum de quibus supra fit mentio, sequitur, & est talis, videlicet.

Homicidas jubet exulare etiam habita pace ejusque remissionem, aut saluum conductum ab Officialibus, concedi non posse.

§. 3. Sanctissimus Dominus noster, intendens quieti patriæ consulere, & ipsam sicariis, homicidis, & malefactoribus expurgare, statuit, & decrevit, quod omnes illi qui pro delicto homicidii fuerint condemnati, seu alias de civitate aliqua, & districtu illius banniti, non possint ad civitatem seu districtum huiusmodi, quocumque tempore redire, seu in eis, vel eorum altero moram trahere, etiam habita pace ab hæredibus, vel consanguineis, seu filiis ipsius occisi, nec Legatus etiam de latere, aut Gubernator qui pro tempore fuerit, vel quisvis alius ipsius auctoritate Apostolica, seu ex officio suæ legationis, aliquem homicidam sic exbannitum rebannire, reducere, seu revocare ad civitatem, vel districtum, aut eorum alterum, seu ei licentiam, vel saluum conductum concedere redeundi, seu morandi in eis, vel eorum altero, in perpetuum, vel ad tempus modicum sive magnum, nec etiam per diem unum, sive noctem, quod si fecus per quemquam ex supradictis factum fuerit, incidat in poenam excommunicationis ipso facto, sine ulteriori sententia declarationis, a qua per alium quam per Summum Pontificem (& tunc facta de hoc speciali expressione) non possit absolvi, ac reductio, licentia, revocatio, salvus conductus, & castatio processus, & banni huiusmodi, sint ipso iure nulla, nulliusque roboris, vel momenti, incidat etiam in poenam ducatorum mille Camera Apostolicæ applicandorum, quam Thesaurarius, cui hoc secreto, vel publice fuerit denunciatum, retineri faciat, & mandet, nullo super hoc expectato, seu requisito superioris mandato, quod si non fecerit, Thesaurarius ipse eandem sententiam excommunicationis ipso facto, cum eisdem qualitatibus incurrat: ipseque sic rebannitus, reductus, revocatus, sive alio quocumque modo reversus, possit & debeat capi, detineri, & incarcerari; & de ipso, secundum sententiam contra eum latam, iustitia fieri per Gubernatorem, potestatem, & alios Officiales, ad quos spectat, seu pertinet, incontinenti sine ulteriori licentia, notificatione, & requisitione superioris, vel alterius, sub poena ducentorum ducatorum auri, Camera Apostolicæ applicandorum, vel retinendorum, quam Thesaurarius præfatus simili

simili modo, & forma, ac sub similibus censuris, faciat retineri, prout superius est expressum. Hoc autem extendi voluit ad eos, qui revocati, rebanniti, vel alias quomodocumque remissi fuerint, quacumque auctoritate seu licentia (præterquam ex speciali commissione, seu mandato Romani Pontificis, contento in literis authenticis, & bulla plumbea munitis, a duobus mensibus, citra, termino dierum quindecim, quo possint de Civitate libere recedere, eis concessio) vel qui in futurum rebanniantur, revocabuntur, seu alias remittentur per quemcumque quavis auctoritate prædicta, sub poenis pecuniariis, & aliis ecclesiasticis censuris, de quibus superius est dictum.

Appellationis remedium auferri.

Ad hoc vide omnino Pii IV. constit. 52. Et si enclita, ubi notabe.

§. 4. Item quod quacumque appellationes interpositæ vel interponendæ ab huiusmodi vel aliis sententiis sive gravaminibus contra homicidas latas, vel a processu contra eos facto, etiam si lis, vel instantia super eis pendeat, & inhibitiones vigore ipsarum emissa per Auditorem Camere, vel alium quemcumque ordinariam, vel delegatum, sint nullæ, & invalidæ, nec ad ulteriora super eis, vel ipsarum vigore, procedi possit ac debeat: quinimmo appellationes, lites, & causæ huiusmodi, censeantur advocatæ, extinctæ, & invalidæ, nec Potestates vel alii Officiales inhibiti, huiusmodi mandatis, inhibitionibus, litis pendentiis, censuris, & poenis in eis contentis, adstringantur, immo teneantur, & debeant, sub poenis suppositis, ad executionem sententiarum latorum procedere. Possint tamen in causis aliis, a jure, vel statuto permittis, appellari ad Gubernatorem Civitatis, seu Provincia; qui infra mensem, causam definire teneatur, quo elapso, appellatio, inhibiti, & instantia super eis, sint nullæ, & libere, sine impedimento, possit fieri executio sententiæ, vel banni; ac si non fuisset inhibiti, & appellatum, quodque banniti, & condemnati propter huiusmodi crimen homicidii, censeantur, & sint banniti ab omnibus circumvicinis usque ad milliaria, quinquaginta, intra quæ, si reperti fuerint, possit & debeat capitalis sententiæ, sive condemnationis pecuniariæ executio fieri contra eos, per Potestates, & alios Officiales, civitati, districtui, & loco præfidentes, sub poenis pecuniariis simili forma imponendis.

Homicidas condemnatos, aut diffamatos, plures poenas incurros declarare etiam si ab Officialibus remittantur. Ampliorem dispositionem, vide in bullis citatis in rubr.

§. 5. Item quod omnes, & singuli homicidæ, quorum delictum notorium fuerit, vel de homicidio infamati, seu condemnati (etiam si de delicto huiusmodi, ex forma statutorum, non possit inquiri, vel aliqua poena imponi, vel etiam si ipsius delicti, vel poenæ pro eo interpositæ, auctoritate Apostolica, vel alterius, ab ea, vel a Romano Pontifice potestatem habentis, sit facta remissio, castatio processus, & sententia annullata, vel alias quomodolibet dispensatum, per viam gratiæ seu iustitiæ, in toto vel in parte) non possint habere officia, vel dignitates in quibuscumque locis, civitatibus, & terris, a

quibus banniti fuerint, in quibus domicilium eorum originemque habuerint, seu aliam moram traxerint vel resederint, etiam si fuerint absoluti, rebanniti, vel alias eorum sententia, seu condemnatio, sive processus castatio, irritatio, vel alias pro infectis habiti; sed perpetuo sint infames, & omni dignitate privati, nec possint ferre testimonium, nec tabellionatus officium exercere, non admittantur ad iudicandum, seu ad aliud officium exercendum, & ab omnibus actibus legitimis sint perpetuo suspensi, quinimmo si huiusmodi officia acceptaverint, exercuerint, seu ad ea exercenda admissi fuerint, tam ipsi, quam Gubernator, Legatus, aut Superior, qui eum elegerit, vocaverit, aut ipsum officium exercere, seu ei præfesse passus fuerit, poenam quingentorum ducatorum auri, ipso facto incurrat, & sua gubernatione privetur, nec gesta, in iudicio vel extra iudicium, tam per eum, qui admissus fuerit ad officium, quam per eum qui illud ab eo exercere passus fuerit, de cetero valida sint, & robor obtineant, quinimmo sint nullius roboris vel momenti, & si ecclesiastica persona fuerint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, sine ulteriori declaratione, a qua non possint, præterquam a Romano Pontifice, cum speciali delicti sive transgressionis huiusmodi expressione, absolvi. Et Thesaurarius Camere, sine aliqua requisitione, seu notificatione, aut inhibitione vel monitione, salarium eisdem, vel alteri, debitum, retinere debeat, si ab eo debeat; si vero non debeat, mandare Potestati, Gubernatori, vel alteri, ad quem spectat, ab eis, vel eorum altero exigi, & satisfieri, sub eisdem censuris, & poenis, prout superius est expressum.

Nulli ergo, &c.

Si quis autem, &c.

D. P. An. 4. die 28. an.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, V. Kalendas Februarii Pontificatus nostri Anno Quarto.

XI.

Erectio Oppidi Pientini in Civitatem Ejusque Ecclesiæ Collegiate in Cathedralem.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Urbello Italia Sacra Tom. I. Col. 1175.

PRO excellenti præminencia Sedis Apostolicæ, in qua post Beatum Petrum Apostolorum Principem quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti sumus in agro irriguo militantis Ecclesiæ novas Episcopales Sedes Ecclesiæ plantare Romano Pontifice dignissimum arbitramur, ut per novas plantationes populorum augeatur devotio, divi-

Præfatio.



Oppidum in quo Pius natus est.

Edificia in eodem oppido Pontificis iustitia edificata.

nus cultus effloreat, subsequatur animarum salus, & loca humilia illustrentur.

§. 1. Cum itaque oppidum Corisignani Aretine Diocesis, in quo dies natalis nobis primum illuxit, & educati postmodum per omnem fere pueritiam fuimus commendatione quadam nature ad gratitudinem nos invitati, cogitavimus postquam ad summum Apostolatam sumus assumpti, signum aliquod pietatis nostre ostendere, quod Deo beneplacitum esset, & hominibus commendabile. Iussimus itaque in honorem Sanctissime Virginis Dei Redemptoris nostri Genitricis Ecclesiam magnifici operis a fundamentis ibi extolli, palatioque insigni in paternis aedibus, & nonnullis aliis aedificiis locum eundem ornari, videntes insuper ipsum Corisignani, & Montis Ilceni nullius Diocesis oppida satis propinqua a certis temporibus citra, benedicente Domino, incolis, & habitantibus, ac rerum facultatibus adeo aucta, ut inter alia Italiae loca ad Sedem Apostolicam merito idonea possint reputari, hanc quoque gratitudinis partem sumus amplexi, & rationem inivimus, qua, & Praesul futurus pro tempore, & Canonici, ac alia ipsius Ecclesiae si in Cathedralem erigerentur, personae commode habitare, & congrue sustentari valerent; nihil incoGITATUM linquentes, quod ad augmentum, & conservationem electionis huius spectaret.

§. 2. Cum itaque pro divina largitatis munere omnia ad eum modum, atque ordinem redacta jam sint, ut modo consummationis operis indulgere possimus. Nos praemissis omnibus, cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E., ac matura consultatione discussis attendentes honorem, qui exinde per augmentum novi Praesulis Sedis Apostolicae, acquiritur, & profectum quod Catholicae fidei ob praemissa subsequi potest, suadentibus nonnullis aliis rationabilibus causis ad id nostrum animum, inducentibus, ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac in honorem eiusdem gloriose D. N. J. Genitricis Mariae ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli sacrorumque celestis Curiae Paradisi, ac exaltationem Catholicae Fidei, & decus nostrum, ac praefatae Apostolicae Sedis, de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac Apostolica potestatis plenitudine, tam praedictam Sanctae Mariae de Corisignani, quam etiam Sancti Salvatoris de praedicto Monte Ilcino Ecclesias, sive plebes, & quamlibet earum in Cathedrales Ecclesias, quae Corisignano Pientina, & Montis Ilceni Ilcinenis nuncupentur cum Sedibus Episcopalibus, & collegiis, sive Capitulis distinctis, ac omnibus, & singulis Cathedralium Ecclesiarum consuetis insignibus. Necnon Corisignani, & Montis Ilceni oppida praefata in Civitates, quae de cetero non Corisignanum, sed ad memoriam nostri Pontificalis nominis Pientina, Montis vero Ilceni Ilcinenfis Civitatis ab omnibus appellentur, motu proprio, & ex certa nostra scientia tenore praesentium erigimus,

Cathae Italianae Ecclesiarum erectio.

Necnon oppida in Civitates.

ipsa sive Sanctae Mariae, & Sancti Salvatoris in Ecclesias erectas Cathedrales Episcopalia Sedium, praeminentia, & honore, necnon praefatas, & erectas Pientinam, & Ilcinensem Civitates decore, titulo, & honore Civitatum in memoriam indelebilem insignimus. Statuentes, ut decetero Tabelliones, & alii quicumque Civitatem Pientinam in eius contractibus, & non Corisignanum appellent. Si vero iidem Tabelliones non Pientinam Civitatem, sed Corisignanum in huiusmodi contractibus appellaverint censentur iidem contractus non ibi, sed alibi esse celebrati.

§. 3. Praeterea ut praedicta Pientina, & Ilcinenfis Ecclesiae, & earum Praesul decenti sint Cleri, ac populi, ac Subditorum numero, & Diocesis quantitate decorata, ipsam Pientinam, & Ilcinensem Civitates ab Aretina, necnon infra scripta oppida, Castra, villas, sive loca, videlicet Damigliani, Porrone, Cinigiani, Podii alle Mura, quae haecenus Craffetanae Diocesis fuerunt ab eadem Craffetana, ac arcem Tentinnam, cum Balneis, Avinionis, Castillonis Vallis Urciae, Campigliae cum Balneis S. Philippi, Sancti Petri in campo Continiani, Perignani Castris veteris, Montis Nigri, Sancti Angeli in colle Castris novi Abbatis, Seggiani Ripae, Unionis Monticchielli, & Fabricae, quae haecenus Clusinae Diocesis fuerunt ab ipsa Clusina, necnon Sancti Quirici Rosene, Montis Fullonicae, Turratae, Scufriani, Petrorii, Castris Muti, Trequende, Monterongrifoli, Monticchielli, Sancti Joannis ad Asium, Vercellae Turris Nigrae, Luciniani ad Asium, quae haecenus Aretinae Diocesis, cum Clero populis, incolis, Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis Ecclesiasticis, & piis locis, Territoriis, aliisque omnibus, iuribus, ac pertinentiis, eorumdem auctoritate, & scientia supradictis tenore praesentium dismembramus, & dividimus, illaque omnia, & quaelibet eorumdem oppidorum Castrorum, Villarum, seu locorum ab omni superioritate, Dominio, & potestate Craffetani, Clusini, & Aretini Episcoporum, & eorum cujuslibet tenore praesentium perpetuo eximimus, ac liberamus, necnon arcem Tentinnam, cum Balneo Avinionis, Castillonis, Vallis Urciae, Campigliae, cum balneis ad S. Philippum Sancti Petri in campo, ac Castris veteris, & Avinionis, ac Monticchielli, & Fabricae, ac Sancti Quirici, Rosene, & Montis Fullonicae, Turratae, Scufriani, Petrorii, Castris Muti, Trequende, Monterongrifoli, ac Monticchielli S. Joannis ad Asium, Luciniani ad Asium, & Vercellae oppida, seu Castra praedicta Ecclesiae, & Sedi Episcopali Pientinae reliqua vero superius nominata videlicet, Camigliani, Argiani, Podii alle Mura, Montis nigri S. Angeli in colle, Castris novi Abbatis, Seggiani, Ripae, & Torranerii castra, Villas, seu loca huiusmodi eidem Ilcinenfi Ecclesiae, & eius Sedi Episcopali, cum clero, populis, incolis, Eccle-

Eisdem Cathedralibus jurisdictione assignat.

Locorum dismembratio.

Ecclesiis Monasteriis, beneficiis, locis piis tam secularibus, quam regularibus, territorii, aliisque iuribus, & pertinentiis, quatenus videlicet eisdem Episcopis eorumdem Ordinariis subiacbant, & non aliter Pientino, & Ilcinen, Episcopo pro tempore existentis subiacimus, & eisdem, & aliis prout superius est expressum, pro Diocesis assignamus, ac Pientinae, & Ilcinen, Diocesis de cetero perpetuis futuris temporibus fore, & censeri debere volumus, & statuimus.

§. 4. Decedentes collationes, provisiones, electionum confirmationes, institutiones, & destinationes Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum, ac piorum, & Ecclesiasticorum locorum praedictorum, & personarum eorum, necnon aliam omnimodam ordinariam jurisdictionem in illis, ac oppidis Castris, Villis, & locis superius expressis, eorumque clero, populis, atque incolis ad Pientinum, & Ilcinensem Episcopum pro tempore existentem in omnibus, & per omnia perpetuo pertinere ita, & quemadmodum, per antea ad praefatos Craffetanum, Clusinum, ac Aretinum Episcopos eorum ordinarios pertinebant.

§. 5. Et insuper suadente vicinitate, dictarum Pientinae, & Ilcinen, Ecclesiarum, & ex certis aliis iustis, ac rationabilibus causis animum nostrum moventibus de eorumdem Fratrum consilio, ac motu, auctoritate, & scientia supradictis, eisdem Pientinam, & Ilcinensem Ecclesias, cum omnibus iuribus, & pertinentiis earumdem insimul in perpetuum incorporamus, annectimus, & unimus. Itaque Capitulis, ac Diocesis utriusque ipsarum Ecclesiarum distinctis existentibus unoquoque ipsorum Capitulum juxta sua statuta, & ordinationes se regentibus unus Episcopus eisdem Pientinae, & Ilcinenfi Ecclesiae praesit, cuius quidem Episcopi, cum dictas Ecclesias pro tempore vacare contigerit, electio per utrumque Capitulum semel in Pientina, & semel in Ilcinen, Ecclesiis, & sic deinceps alternatis vicibus, sed pro prima vice cum in posterum eam fieri contingerit, in Pientina Ecclesia celebretur.

§. 6. Ceterum cupientes ipsas Ecclesias singulari beneficio decorare, eas, & earum Praesulem pro tempore existentem, cum Capitulis, Clero, & populis, Civitatibus, oppidis, Castris seu villis praedictis, & totis illarum Diocesis ab omni jurisdictione, superioritate, visitatione, Dominio, & potestate Archiepiscopi Senensis pro tempore existentis, eiusque officialium, ac aliorum quorumcumque ordinariorum Judicum motu, auctoritate, & scientia supradictis in perpetuum eximimus, & totaliter liberamus, ac sub nostra, & beati Petri, & Sedis Apostolicae protectione suscipimus, dictasque Ecclesias, & eorum Praesulem Romanae Ecclesiae nullo medio decernimus subiacere.

§. 7. Ita tamen, quod si qui in causis Tom. III. Par. III.

Pientinam, & Ilcinensem Ecclesias unimus.

Eisdem Ecclesiis ab omni jurisdictione, eximit.

Ecclesias se unitas sub Sedis Apostolicae protectione suscipit.

ab Episcopo Pientino, & Ilcinen, eiusque officialibus, ad Archiepiscopum Senensem, seu ejus Metropolitanam curiam pro tempore appellare voluerint, liceat eis id libere facere, ipsique Archiepiscopo, seu ejus officialibus, vel delegatis ab eo huiusmodi appellationum causas cognoscere, & definire, ita, & quemadmodum alias causas appellationum a suis suffraganeis impositarum cognoscunt. Liceat etiam ipsi Archiepiscopo pro tempore existentis, cum per Pientinam, vel Ilcinen, Civitates, aut Diocesis iter faciet praese crucem portare facere, sicut in locis suae Provinciae portare facere consuevit. In reliquis autem nullam ordinariam jurisdictionem in Episcopum Pientinam, & Ilcinen, aut ejus subditos valeat quo modolibet exercere.

§. 8. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus, necnon quibusvis indultis, & literis Apostolicis, praefatis Craffetano, Clusino, & Aretino Episcopo, eorumque Ecclesiis in genere, vel in specie concessis, quorumcumque tenorem fuerint, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum erectionis, insignitionis, dismembrationis, divisionis, subiectionis, voluntatis, statuti, incorporationis, anectionis, unionis, exemptionis, liberationis, susceptionis, Decreti, & constitutionis infringere, &c. Datum Pientinae, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo Idibus Augusti Pontificatus nostri Anno IV.

Conclusiones solite.

Datum diei Augusti Anno Domini 1462 Pontificatus nostri Anno IV.

XII.

Privilegia Congregationis Monachorum B. Mariae Montis Oliveti, Ordinis Sancti Benedicti, una cum communicatione omnium gratiarum Congregationis Casinensis eiusdem Ordinis.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet ex debito ministerii Pastoralis quibuslibet Ecclesiastici ordinis vis nos deceat in suis opportunitatibus esse favorabiles & benignos, illis tamen, qui sub Religionis habitu, vite castimonia, & observantia regulari, gratum, & sedulum exhibent cum puritate mentium Altissimi famulatum, mundanisque relegatis illecebris, celestem contemplationi insistant, ut in suis bonis operibus huiusmodi nil eos impediatur, vel conturbet, eo propensioribus auxiliis nos convenit opportune adesse, quo per arctioris eiusdem observantiae firmitas se Creatori omnium sponte devote runt, tantoque devotius ipsi divinis, & contemplationi insistere, ac sacris actionibus

Proemium.

P



1462.

Approbatio  
emum in-  
cultorum.

bus vacare possint, quanto eorum status quietior amplioribus fuerit præditiis communitus.

§. 1. Cupientes itaque Monasterium Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti Aretine Dioc. quod inter alia ipsius Ordinis, & Congregationis Monasteria insignis, & præcipuum, & per nonnullos præclaros viros ex progenitoribus nostris nobilibus de Piccolominibus, & Prolo neis Domoro a quibus sumpsit exordium, magna ex parte fundatum, atque donatum est, & in quo dilecti filii, Abbas Generalis dicti Ordinis, una cum illius conventu, prout ipsi, qui devotionis causa prædictum Monasterium visitando experientia edocente comperimus, gratum, & devotum exhibent virtutum Domino famulatum, atque alia ipsius Ordinis Monasteria, Prioratus, & Membra, ac in eis degentes personas, condignis muneribus gratiarum, & favoribus decorare, & non solum ad instar prædecessorum nostrorum Roman. Pontificum, cum nonnullis infra scriptis modificationibus concessa eis privilegia communitate, verum etiam illa, prout sæpius in similibus fieri contingit, & quemadmodum aliis regularibus viris, eorumque Monasteriis concessum fuisse dignoscitur, Abbatis, Conventus, & Monachorum meritis, & virtutibus exigentibus, quo ad aliqua ampliare, ejusdem Abbatis in hac parte supplicationibus inclinati, omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, indulta, & gratias, illa auctoritate Apostolica ex certa scientia approbamus, & confirmamus ac presentis scripti patrocinio communitimus.

Loca omnia  
Congregatio-  
nis etiam unien-  
da, a Prelatis  
ejus regantur,  
illique a Cap-  
itulo vel Ab-  
bate, & Visi-  
tatoribus eli-  
gantur.

§. 2. Et nihilominus ut idem Abbas, Conventus, Monachi, & personæ eo magis sine cujusvis turbationis, vel impedimenti distractione bonis actibus insistere, piis quoque, & meritoriis operibus continuo vacare possint, quo nostræ erga eos paternæ charitatis intelligent exuberare affectum, sentientque nostræ munificentia gratiam, eis non deesse, hac perpetuo valitura constitutione, Apostolica auctoritate statuimus, & ordinamus, quod in antea perceptis futuris temporibus, Monasteria, Prioratus, & loca dicti Ordinis, ab eodem Monasterio Montis Oliveti dependentia, quæ nunc sunt, & in posterum (auctore Domino) Ordini, sive Congregationi ejusdem, quomodolibet unientur, incorporabuntur, subiciantur, seu applicabuntur, per ipsius Ordinis Prælatos dumtaxat regi, & gubernari debeant, & quoties illa, vel eorum aliquod ubicumque etiam apud Sedem Apostolicam, & qualitercumque vacare contigerit, etiam si quævis specialis, vel generales de illorum provisionibus, sive dispositionibus per Sedem ipsam refer-

vationes factæ fuerint, Capitulum, si tunc celebrabitur, alioquin Abbas dicti Monasterii Montis Oliveti, & Visitatores prædicti, cum aliis ad hoc, juxta eorum consuetudines, & statuta deputatis, illos ex Monachis dicti Ordinis, presentibus & futuris, quos ad hoc idoneos fore repererint, in Abbates, seu Priores tunc vacantium Monasteriorum, Prioratum, & locorum hujusmodi alias juxta ipsorum consuetudines, & statuta eligere, & nominare, ac etiam ad nutum, & beneplacitum ipsorum, totaliter electos, sive nominatos a regimine, sive administratione dictorum Monasteriorum, Prioratum, & locorum, quibus præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censeantur, absolovere, amovere, & ad claustrum revocare, præfatique sic electi, & nominati, absque alicujus Sedis prædictæ, vel alterius provisionis, sive præfectionis, vel dispensationis ad miniculo, & præter id, quod propterea munus benedictionis, ratione Monasteriorum quibus præfuerint, impendantur, eisdem Monasteriis, Prioratibus, & locis ad quæ sic electi, & nominati fuerint præesse, ac illa in hujusmodi spiritalibus, & temporalibus regere, & gubernare, ac omnia, & singula, quæ per Abbates, & Priores aliorum Monasteriorum, Prioratum, & locorum Ordinis, & Congregationis eorumdem, juxta prædicta statuta, & ordinationes fieri poterunt, libere, & licite valeant exercere.

§. 3. Per hoc tamen constitutioni nostre, ac etiam felicis recordationis Eugenii PP. IV. prædecessoris nostri, qua cavetur, quod Monast. ac beneficia unita statutis in ea temporibus, amantam solvere teneantur, non intendimus in aliquo derogare.

§. 4. Et ne ipsos super Monasteriis, Prioratibus, & locis prædictis aliorum motibus, & instantis improbis turbari contingat, volumus, & auctoritate præfata, similiter statuimus, & ordinamus, quod per quascumque literas Apostolicas, etiam Motu proprio, & cum reservationibus antedictis, ac quibuscumque derogatoriis clausulis, propter quas effectus præsentium quomodolibet impediri, vel diseri possit, concessas hæcenus, & in posterum forsan concedendas adversus statuta, & ordinationes nostras hujusmodi, nullus prædictæ Congregationis, vel alius cujuscumque status, gradus, vel conditionis fuerit, etiam si Cardinalatu, aut Pontificali, sive alia quavis præfulgeat dignitate, aliquod ex ipsi Monasteriis, Prioratibus, sive locis in Titulum, vel Commendam, seu administrationem, aut alias, seu super cujusvis illorum fructibus, & redditibus, & proventibus quancumque pensionem sibi vindicare, vel jus desuper acquirere possit, nisi in ipsis literis de presentibus, ac ipsa Congregatione, specialis, & expressa, ac de verbo, ad verbum mentio fiat, & alias ex ipsarum tenore literarum evidenter appareat singulos Romanos Pontifices, qui eas concesserint, ex certa scientia cum ratio-

Annate solu-  
tione præfer-  
vata.

Et huic indul-  
to non censetur  
derogari  
nisi id Papa  
specificè ex-  
primat.

1462.

Exemptio a  
subsidio. Ad  
hoc vide inf.  
bullam Jul. II.  
cit. in rubr.

Exemptio a  
solutione dec-  
imarum. Tu  
vide d. Bull.  
Jul. II.

Testificari, &  
ad processio-  
nes ire non  
coantur. Tu  
vide quid no-  
tabo in d. Bull.  
Jul. II. §. 8.

Hæreditates  
Congreg. con-  
sequi possit.

Ordines Sa-  
cros a quo-  
cumque An-  
tistite suscipere  
possint &c.  
Tu vide cita-  
ta ibid.

Celebrare  
possint tempore  
interdicti. Tu  
vide  
ibid.

Recipere pos-  
sint ad Reli-  
gionem om-  
nes hic non  
exemptos. Tu  
vide bul. Pii v.  
n. 89. Quo-  
cumque, &  
bul. Cle. VIII.  
Bul. 115.

rationabilis cause subjunctione, prædictis statutis, & ordinationibus voluisse, ac velle derogare, decernentes ex nunc ipsas literas ad aliquod ex eisdem Monasteriis, Prioratibus, & locis nullatenus extendi debere, ac irritum & inane quicquid in contrarium a quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 5. Et insuper Abbatem, Priores, Conventus, Monasteria, Prioratus, Membra, & loca Ordinis hujusmodi a quarumcumque prædialium, & aliarum decimarum, necnon subsidiorum, prout hæcenus consuetum est, ac etiam canonicæ portionis, seu quartæ locorum Ordinaris faciendæ dumtaxat, solutione, & contributione abolimus, & penitus liberamus.

§. 6. Ita etiam, quod ipsi Abbas, Priores, Conventus, & Monachi dicti Ordinis, a solutione, seu præstatione quarumcumque decimarum de fructibus terrarum, hortorum prædictorum, sive possessionum suarum, quas possident, & in futurum, (præstante Domino) poterunt adipisci, quas, seu quos propriis manibus, & sumptibus colunt, vel per boves suos, aut alios, & sumptibus dictorum Monachorum excoli faciunt, ac de novalibus, seu nutrimento animalium suorum sint prorsus exempti.

§. 7. Et ad subeundum juramenta, & faciendæ testimonia (nisi in causis, ubi alias veritas inveniri non possit, & tunc in eorum Monasteriis) seu accedendum ad processiones, nisi præcipuas, vel ad Concilia, præterquam universalia auctoritate Apostolica indicta personaliter compelli nequeant quocummodo.

§. 8. Eis similiter concedentes, ut quascumque hæreditates per medias personas, tam Monachorum, seu personarum dicti Ordinis, quam alias quovis modo sibi de jure delatas, & in antea deferendas nomine dicti Ordinis, ac Monasterii, cujus dicta persona Monachus, vel oblati fuerit, adire, & pro ipso Monasterio retinere.

§. 9. Necnon, quoties opus fuerit, a quocumque Catholico Antistite Monacos, & Novitios dicti Ordinis ad hoc idoneos, absque aliquo alio examine, & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, ad omnes sacros ordines promoveri facere, & conferendorum ordinum hujusmodi, aut altarium consecrandorum causa, ipsos Antistites ad se in eorum Monasteriis advocare.

§. 10. Interdicti quoque tempore dummodo ipsi causam illi non dederint, submissa voce, januis clausis, & interdictis, seu excommunicatis exclusis, eorum tamen Cappellanis, & habitantibus infra septa Monasteriorum intermissis celebrare.

§. 11. Quodque etiam quoscumque Ordinem ipsum introire volentes, etiam si alium Ordinem, præterquam Carthusien. ingredi vovissent, dummodo professionem non emiserint, eosdem recipere, & voto non obstante prædicto, eos ad professionem Regularem admittere. Prohibemus

Tom. III. Par. III.

tamen eidem Abbati, Visitatoribus, atque aliis personis dicti Ordinis ne præsentium tenore laicorum, & exterorum confessiones audire, aut alia vota commutare, sive eos ab excommunicationis sententia a jure vel ab homine promulgata absolvere, aut cum eisdem excommunicatis participare, sive cum patientibus defectum natalium quoad obtinendum dignitates Ecclesiasticas dumtaxat, dispensare, seu Pontificalia insignia deferre quocummodo præsumant.

§. 12. Ceterum præfato, & aliis Abbatibus, Visitatoribus, Prioribus, Conventibus, Personis, Monasteriis, Prioratibus, Locis, & Membris dicti Ordinis, quod omnibus aliis, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, & gratiis, dilectis filiis Præsidenti, Visitatoribus, Monasteriis, Congregationis S. Justine Paduan. Ordinis S. Benedicti prædicti, eorumque Monasteriis, Prioratibus, membris, & personis, & bonis tam per nos, quam per præfatum Eugenium, & alios Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros, sub quavis forma, & expressione verborum, tam in specie, quam in genere concessis, & quibus Præsidents, Abbates, Visitatores, Priores, Monachi, & personæ, monasteria quoque, & prioratus, membra, loca, & bona ejusdem Congregationis S. Justine utuntur, & gaudent, sive uti, & gaudere possunt, quæ omnia presentibus haberi volumus pro expressis, & specificè enarratis, & quæ ad Abbatem, Conventum, Monacos, personas, monasteria, prioratus, membra, & bona dicti Ordinis Montis Oliveti cum modificationibus tamen præinsertis, ac etiam infra scriptis extendimus, & eis de novo concedimus, ac etiam impartimur, ipsi Abbas, & Professores Montis Oliveti, eorumque monasteria, prioratus, membra, & bona, prædicta pariformiter, & ad eorum, instar, sine tamen Præsidentis, ac personarum dictæ Congregationis, eorumque Monasteriorum, & bonorum præjudicio, perinde in omnibus, & per omnia uti valeant pariter, & gaudere, ac si illa omnia, & singula eis pariter a Nobis, & prædecessoribus, aut Sede prædictis specialiter, & expresse concessa, indulta, & attributa fuissent, auctoritate Apostolica tenore presentium ex certa scientia concedimus pariter, & indulgemus.

§. 13. Sub exemptione tamen prædicta, ipsorum Capellanos, & benefactores, ac eorum Capellanorum familiares, nequamquam comprehendi, neque ipsi Abbati, Visitatoribus, & aliis supra dictis, illam quoad onera realia suffragari volumus.

§. 14. Et in quantum eis libera sepultura conceditur, casus excipimus a jure exceptos, nisi hæc eis per specialia Sedis ejusdem privilegia sint concessa, aut fuerit hæcenus consecuta.

Nulli ergo, &c.  
Datum Petreoli Senen. Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo

Communica-  
tio indulgenti-  
æ Congregatio-  
nis Monacho-  
rum S. Justine  
sive Casinen-  
sium. Que vid. sup.  
in locis in-  
rubr. citatis.

Restrictio  
exemptionis.

Declaratio  
quoad libera  
sepulturam.  
Tu vide bulla  
Jul. II. cit. in  
rubr.

D. P. An. v.  
die 5. Octob.



tesimo sexagesimo secundo Tertio Nonas  
Octobris Pontificatus nostri Anno V.

XIII.

Prohibitio predicandi, disputandi, aut  
suadendi, hereticum, vel peccatum,  
esse, credere, JESU CHRISTI Sanguinem,  
in triduo sue passionis, ab ipsa  
Divinitate, divinum, vel non divinum  
fuisse.

PIUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ineffabilis summi providentia Patris ad  
hoc nobis, quamvis immeritis univer-  
salis Ecclesie regimen pia dignatione com-  
misi, ut tamquam de summo vertice ad  
infima refluens intuitum, quid pro sacre  
Religionis expediat propagatione felici, &  
qualiter illius multiplicatis plantationibus  
Religio ipsa floride dilatetur, solertius in-  
tendamus, omnemque inquietudinis, &  
molestia omnemque subtrahamus, sicque  
statui omnium Religiosorum in humilitate  
Altissimo famulantium, opportune  
providemus, quod omnibus ab ipsis sub-  
stantis molestiis, in Religionis observantia,  
jugiq; perseveratione quietius intendere  
valeant.

Quidam tene-  
bant sanguine  
Christi, in  
triduo passio-  
nis ab eius Di-  
vinitate fuisse  
divinum. Et  
alii contrari-  
um affirmab-  
ant.

§. 1. Sane, cum dudum inter dilectos  
filios Predicatorum, & Minorum Ordi-  
num Fratres ( favore zizanie operante )  
super eo quod eorum aliqui in ipsorum  
predicationibus pretiosum Sanguinem Do-  
mini nostri Jesu Christi in triduo passionis  
ejusdem separatim fuisse ab ipsius sanctissi-  
ma Divinitate alleverabant, alii vero fore  
contrarium tenebant, dissonans materia  
exorta foret, ex qua ad tantam inter eos  
altercationem, ut accepimus, deventum  
extitit, ut facile mentibus fidelium posset  
scandalum generari. Et licet alias Nos ad  
obviandum predictis, auditis iis que cir-  
ca premissa utraque pars dicebat, & alle-  
gabat, silentium imposuerimus, ac ma-  
teriam ipsam indiscussam de hujusmodi du-  
bietate amplius disceptationem aliquam  
fieri non debere; quia tamen verendum  
foret, ne ex contrarietate predicta, in-  
mentibus eorumdem Christi fidelium ali-  
quid scandali ad eorum animas illaquean-  
das evenire possit, matura premeditatione  
curavimus omnibus sinistris eventibus  
premissis, prout ex debito Pastoralis offi-  
cii adstringimur, obviare.

Hic ergo Pon-  
tiffex de hoc  
predicatu, &  
disputari pro-  
hibet.

§. 2. Ut igitur in Ecclesia Dei ortho-  
doxe fidei unitas preservetur, & de cetero  
tollatur occasio in hujusmodi controver-  
sias incidendi, auctoritate Apostolica te-  
nere presentium statuimus, & ordinamus,  
quod nulli Fratrum predictorum deinceps  
liceat de supradicta dubietate disputare,  
predicare, vel publice, aut private ver-  
bum facere, seu aliis suadere, quod vi-

delicet hereticum, vel peccatum sit, te-  
nere, vel credere, Sanguinem ipsum sa-  
cratissimum, ut premititur, triduo pas-  
sionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi,  
ab ipsa Divinitate quomodolibet fuisse,  
vel non fuisse divinum, vel separatim,  
donec super dubietatis hujusmodi decisio-  
ne, quid tenendum sit, fuerit per Nos,  
& Sedem Apostolicam definitum.

Contrave-  
nientibus pe-  
nas imponit.

§. 3. Mandantes propterea universis,  
& singulis eorumdem, & aliorum quo-  
rumcumque Ordinum per totum Orbem  
constitutis Fratribus, cujuscumque status,  
gradus, vel conditionis existant, presen-  
tibus, & futuris, sub excommunicationis  
late sententia poena, quam ipso facto in-  
currant, & a qua nisi in mortis articulo,  
constituti, nisi per Nos, aut successores  
nostros, absolui possint, ne contra statu-  
tum, & ordinationem nostram predictam  
venire, aut facere, vel tentare quoquo  
modo presumant.

Et Sedi Apost.  
eos denunciati  
jubeat.

§. 4. Necnon omnibus, & singulis pre-  
dictorum, & aliorum Ordinum Pralatis,  
ut in virtute sancte obedientie transgres-  
siones omnes, quos in poenam hujusmodi  
incidisse, aut contra predicta dixisse, vel  
fecisse presumpserint, dignis poenis, diris-  
que carceribus punire, & mancipare pro-  
curent, ac Fratribus ipsi utriusque, seu  
alterius Ordinis, de cetero sub eisdem  
poenis, aliquem Fratrem, seu alium, he-  
reticum propterea proclamare, aut here-  
sis ex hoc labem incurrisse constiterit, il-  
lum, vel illos, apud Sedem Apostolicam  
denunciare teneantur, & debeant, quod-  
que inter alias quascumque Ecclesiasticas,  
secularesque personas, nullus Fratrum  
Ordinum predictorum, seu aliorum, ali-  
quem de predictis infamare, aut de illo  
quomodolibet proclamare presumat.

Fratesq; Pre-  
dicatores, &  
Minores mu-  
tua cum dile-  
ctione se tra-  
ctare precipit.

§. 5. Quinimmo, ut Fratres ipsi Pre-  
dicatorum, & Minorum Ordinum hujus-  
modi, mutuo se diligant, & cum charitate  
pertractent, secundum Ordinum ipsorum  
instituta, & Regularis observantia regu-  
lam, sub poena premissa auctoritate pre-  
fata tenore presentium injungimus: de-  
cernentes ex nunc, omnes, & singulos  
Fratres Ordinum predictorum, qui pre-  
dicta non observare, vel illis contrasacere,  
vel venire studuerint cum effectu, ad om-  
nes actus legitimos Religiosorum, & Or-  
dinum ipsorum penitus inhabiles, & inca-  
paces, necnon irritum, & inane, si secus  
super his a quoquam quavis auctoritate,  
scienter vel ignoranter contigerit atten-  
tari.

Sandionem  
penale adhi-  
bit.  
D. P. An. vi.  
die 1. Aug.

§. 6. Nulli ergo, &c.  
Datum Anconae, Anno Incarnationis  
Dominice, millesimo quadringentesimo  
sexagesimo quarto; Kalendis Augusti,  
Pontificatus nostri Anno VI.

PAU-

PAULUS SECUNDUS  
PAPA CCXIII.  
ANNO DOMINI MCCCCLXIV.



DIE 30. Augusti 1464. electus  
est in summum Pontificem Pe-  
trus Barbus Venetus S. R. E. Pres-  
byter Cardinalis tituli S. Marci;  
qui Pauli II. sumpto nomine ponti-  
ficali thiaa redimitus est die 16. Se-  
ptembris sequentis (a) Hic Petri Ca-  
thedram tenuit An. VI. Mess. X.  
dies XXVI. (b) temporibus Fride-  
rici III. Augusti: ac tribus habitis  
promotionibus, quibus decem Car-  
dinales creavit, obiit Roma die 25.  
Julii 1471. & sepultus est ad San-  
ctum Petrum. Vacavit Sedes dies  
XIV. (c)

(a) Ita Insuper in Diario inter Scriptores medii Aevi ab  
Ecardo edito.  
(b) A die electionis computandos.  
(c) Exclusis extremis.

I.

Jurisdictione, & facultates Vicarii Papae, in  
Urbe, ejusque districtu.

PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Dominico Episcopo Tor-  
cilano, in Alma Urbe in spiritualibus  
Vicario nostro, Salutem, & Apostolicam  
benedictionem.

Exordium.

Licet Ecclesiarum omnium universalis  
cura, & populi Christiani regimen  
ad vigilantiam nos inducant, Romana ta-  
men Urbs inclita, quam caput Orbis di-  
vina clementia stabilivit mentem nostram  
solicitat, ut de ipsius statu prospero, &  
salubri attentius, & diligentius ita procu-  
remus, ut spiritualiter, & temporaliter  
felicioribus successibus congruum recipiat  
incrementum.

Deputatio Vi-  
carii.

§. 1. De tua ergo laudabili vita, mo-  
rum gravitate, probata fide, & circum-  
spectione, aliisque virtutum donis, quibus  
personam tam praeclaram esse familiari ex-  
perientia percipimus, firmam in Domino  
spem gerentes, ac sperantes quod ea quae  
tibi committenda duxerimus, prudenter,  
& fideliter exequaris. Te in prefata urbe  
ejusque suburbis Dioc., & districtu Vica-  
rium nostrum in spiritualibus usque ad no-  
strum, & Sedis Apostolicae beneplacitum,  
cum honoribus, oneribus, fructibus, &  
emolumentis consuetis, auctoritate Apo-  
stolica tenore presentium facimus, consti-  
tuimus, & deputamus.

Elargitio ju-  
risdictionis.  
Tu ad ea vi-  
de bullas in-  
robr. indica-  
tas.

§. 2. Tibique visitandi Ecclesias, Mo-  
nasteria, & loca ecclesiastica, secularia,  
& regularia quorumcumque Ordinum,  
ipsius Urbis, etiam Ecclesias S. Laurentii,  
Anastasi, S. Sebastiani, & S. Agnetis, &  
alia Monasteria, & Ecclesias prope Urbem  
ipsam exempta, & non exempta, & ipso-  
rum personas, & eorum cujuslibet ipso-  
rum excessus, & crimina multandi, cor-  
rigendi, puniendi prout secundum Deum,  
& justitiam videris expedire. Causas civi-  
les, & criminales audiendi, excutiendi,  
cognoscendi, & sine debito terminandi.  
Conferendi quoque ecclesiastica Sacra-  
menta, Ecclesias dedicandi, & eas vel ear-  
um caemeteria reconciliandi. Aliaque  
omnia, & singula faciendi, gerendi, or-  
dinandi, disponendi, exercendi, man-  
dandi, & exequendi, quae ad hujusmodi  
Vicariatus officium de jure, vel consuetu-  
dine pertinere noscuntur. Contradictores  
quoslibet, & rebelles per censuram Ec-  
clesiasticam personalemque coercionem,  
& alia opportuna juris remedia, appella-  
tione postposita compescendi, plenam, &  
liberam auctoritate predicta harum serie  
facultatem concedimus, & potestatem ac  
auctoritatem.

Derogatio co-  
traciorum.

§. 3. Non obstantibus si aliquibus Ec-  
clesiis, Monasteriis, vel Ordinibus, co-  
rumque personis a Sede Apostolica sit in-  
dultum, quod capi seu detineri, aut in-  
terdici,